Programma in festo paschatos et resurrectionis a mortuis veri messiae domini nostri Jesu Christi / [Joannes Assuerus Ampsing].

Contributors

Ampsing, Johannes Assuerus, 1558-1642.
Jesus Christ.

Publication/Creation

Rostock : J. Pedanus, 1627.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/udnk8n57

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

834
AMPSING, J. A.

PROGRAMMA
IN FESTO PASCHATOS ET RESURRECTIONIS A MORTUIS
VERI
MESSIÆ
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

ROSTOCHI
Literis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XXVII.

32

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOANNES ASSVERUS,

Ampſingus Tranſiſulanus Med. D. ac Prof.

IN Natali Domini elegeram mihi pro Themate explicandum locum Eſaiæ cap. 9. verſu 6. Qvia puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Et conſtitutus eſt Principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis: Conſiliarius: Deus fortis: Pater ſeculi: Princeps pacis. Cujus loci partem priorem pro modulo meo enarrabam, & conſolationem inde deducebam pro qvadruplici Chriſtianorum Luctaſ. Reſtant Chriſti Domini noſtri Epitheta, qvibus eum Propheta inſignit, ad officium ejus declarandum. qvæ nunc, adjuvante Deo, percurram, & ex illis etiam aliqvid doctrinæ, redargutionis, inſtitutionis, correctionis & conſolationis venabor.

Primum Servatoris noſtri Epitheton à Propheta ponitur. ADMIRABILIS. Hoc tum de perſona tum de officio ejus prædicatur. Hominem ſine virili ſemine, de virgine naſci, & qvidem ante & poſt partum virgine, Naſci hominem, qvi in una perſona Deus & homo ſit, res eſt reverâ admirabilis & humano ingenio impervestigabilis, Verbum Caro factum eſt, & canente Eccleſia Deus homo factus eſt, puer admirabilis vultu delectabilis, in humanitate, qvi inæſtimabilis eſt & ineffabilis in Divinitate. O myſterium verè magnum! Deus conſpicuus factus eſt in carne, juſtificatus eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam, 1. Tim. 3, 16. eaq; dicente Petro, 1. Pet. 1, 12. annuntiata ſunt nobis, in qvæ deſiderant ipſi etiam angeli intro ſpicere. Qvapropter ſuccincti lumbis mentis noſtræ SOBRII integrè ſperemus in eam, qvæ ad nos defertur gratiam, in patefactione Jeſu Chriſti.

O admirabilem! in qvo conſpiciendam ſeſe exhibuit admirabilis Dei juſtitia, cui ſatisfieri non potuit niſi per mortem filij Dei. Tanta

erat

erat peccati atrocitas ut redimi non possemus nisi sanguine filij Dei, 1. Joan. 1, 7. Hunc agnum mactari oportebat, ut tolleret peccata mundi, Joan. 1, 34. 35. 36. Hunc vulnerari propter iniqvitates nostras, & atteri propter scelera nostra, hunc veluti ovē ad mactationem duci, in hunc poni iniqvitatem omnium nostrum; hunc langvores nostros ferre & dolores nostros portare oportebat, Esa. 53. Hunc sicut Moses exaltaverat serpentem in deserto, in crucem agi & sublimem tolli necesse erat, ut omnis qvi credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam, Joan. 3. Natus virgine paupercula, in stabulo Betlehemico, inter boves & asinos, ab Herode qvæsitus inter Bethlehemiticos infantes, in Ægyptum fugiens, per omnem vitam Judæorum insidijs agitatus, qvadraginta dierum jejunium perpessus, à diabolo tentatus, à Juda proditus, coram Anna, Caipha, Herode, Pilato illusus, consputus, flagellatus, vestibus spoliatus, chlamyde amictus, spinis coronatus, arundine percussus, arundineoq; sceptro insignitus, capitis damnatus, crucem ipse suam bajulans, cruci clavis affixus, in cruce levatus, felle & aceto potatus, lancea vulneratus, qvid pro te passus sit cogita ô fidelis anima! tum illud imprimis qvod in horto ex sensu iræ divinæ sanguinem fuderit qvi stillatim in terram fluxit, & in cruce alta voce clamaverit, Deus meus, ut qvid dereliqvisti me?

O admirabilem! in qvo spectandam sese obtulit Philantropia Dei & dilectio, qvâ sic mundum dilexit ut daret filium suum unigenitum, ut omnis qvi credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam, Joan. 3. Edisserit hanc Dei charitatem luculenter Paulus, Rom. 5. v, 6. 7. 8. 9. 10. Qvem locum moneo ut legant Studiosi, totum describere non patitur chartæ hujus angustia. Augustinum citabo, qvi lib. de diligendo Deo. Domine Jesu Christe, inqvit, magna, multa, & innumerabilia sunt qvæ mihi contulisti beneficia, pro qvibus mihi semper diligendus, & semper es laudandus. Unum autem est qvod me plus omnibus accendit, urget, movet & promovet, ad te diligendum. Super omnia, inqvam, amabilem te mihi reddit, ô bone Jesu, ignominiosissima & amara mors, qvam sustinuisti opus redemptionis nostræ. Hoc solum vel hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obseqvium nostrum, amorem deniq; nostrum facile sibi vendicat, totum hoc, inqvam, est qvod devotionem nostram & excitat melius, & qværit suavius, & auget amplius. Multum qvippe in hoc opere laborabat author mundi, nec in omni fabrica mundi tantam fatigationem sustinuit. De mundo enim & de his qvæ in mundo sunt dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt; at ve-

nò pro reparatione generis humani, magnos multos & diuturnos sustinuit labores & dolores. Ecce qvo modo nos dilexit, qvi nulla sui necessitate, sed sola charitate tam dira & indigna sustinuit. Meritò ergo dixerim hoc unum omnibus alijs præstare beneficijs. Quippe cum magnum sit aliqvem sua gratis alicui conferre: multo majus est semetipsum impendere. Et cùm magnæ charitatis sit animam pro amicis ponere: multo majoris charitatis est indicium, pro inimicis ponere, qvod filius Dei pro nobis fecit. Nam cum inimici essemus Deo reconciliati sumus, per mortem filij ejus. Vix autem pro justo qvis moritur: ipse autem pro impijs est mortuus, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, exul à cœlis factus, ut nos reportaret ad cœlos. O qvàm ineffabilis charitas! qvàm ineffabilis dulcedo charitatis, qvâm stupenda dignatio fuit, Deum pro homine hominem fieri, Deum pro homine carne mori, tentatum per omnia pro similitudine absq; peccato, Ecce cum qvanto pretio, qvantovè labore redimebatur homo, qvi Diabolo jure debebatur: qvi si non redimeretur: sine dubio æternaliter cum Diabolo damnaretur. A qva nos damdatione asseruit ille, qvi est Jesus benedictus in secula, Amen. Hactenus Augustinus.

Seqvitur alterum Epitheton, CONSILIARIUS. *Dicitur Christus Patris sapientia, 1. Cor. 1, 24. idem nobis à Deo factus est sapientia, 1. Cor. 1, 30. A Joanne appellatur ὁ λόγος & verbum vel Sermo ille æternus, qvi in initio erat, & per qvem omnia facta sunt. Hoc in loco vocatur Consiliarius, Et cap. 11, 2. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, replebit eum spiritus timoris Domini. Propheta Zacharias etiam ipsi tribuit consilium pacis inter utrosq; Zach. 6, 13. Ephes. 2, 14.*

Tribuitur autem Deo Consilium, ut intelligamus nihil ab eo fieri temerè, itaq; ne consilia ejus ad examen vocemus, sed in ijs simpliciter acqviescamus, Esa. 40, 13, Rom. 11, 34. Deinde ut sciamus Dei consilia stabilia esse & immutabilia, Esa. 46, 10. Heb. 6, 17. Gloria Dei est finis ultimus rerum omnium. Constituit Deus æterno voluntatis suæ consilio & proposito, glorificari non ab angelis solum sed & ab hominibus. Ideò tandem & Hominem creavit, Creavit autem eum ad vitam: sed per peccatum factus est morti obnoxius. Ibi Deus hominis misertus, eum recepit in gratiam pepigitq; cum eo fœdus promisitq; Semen mulieris qvod contereret caput Serpentis, Gen. 3. Illa promissio fuit universalis duravitq; in posteris Adæ usq; ad Diluvium. Etsi enim Cain cum posteris

ab

ab illo fœdere exciderit: non potuit tamen ipsorum infidelitas Dei veritatem irritam reddere. Post diluvium Deus fœdus suum cum Noah redintegravit, à quo licet iterum Cham cum posteris suis desciverit, manserunt tamen in Dei fœdere alij Noæ posteri, v. g. Sem Japhet, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares & reliqui quos Evangelista continua serie enumerat ad Christum usq;, Matth. 1. Illud æternum Dei fœdus Diabolus nunqvam potuit interrumpere, & qvæ Dei misericordia fuit, ipsis etiam gentibus, qvas dixi desciviſſe & excidiſſe a Dei fœdere, patuit subinde reditus ad Dei fœdus unde exciderant: qvos Proselytos Judæi appellabant, donec tandem Deus tempore completo per Christum seu in Christo Gentes ad fœdus suum revocaret vocatione universali, missis Apostolis in universum terrarum orbem. ut, sublato pariete intergerino seu intermedio, ab universis coleretur & glorificaretur, hic & in æterna secula, juxta Propositum & Consilium voluntatis suæ, qvod fuerat inde ab æterno ante jacta mundi fundamenta. Qvod eqvidem Dei Propositum & Consilium Paulus celebrat cum alibi tum vero Rom. 8, 28. & Ephes. 1, 11. Vide etiam Joan. 10, 16. & Ephes. 2. v. 13, 14. 15. 16. 17. 18.

Est autem necesse loci Paulini, Rom. 8, 28 argumentum de æterno Dei consilio rectè intelligere. Postqvam Paulus cap. 3. v. 21. auspicatus seu exorsus esset Doctrinam Justificationis, eamq; in seqventibus pertexuisset ac in fine capitis 4. conclusisset: Incepit tandem cap. 5. Effecta Justificationis percensere, Inter qvæ qvidem Effecta, haud postremum locum obtinet illa Consolatio qvam ducit ab æterna Dei prædestinatione, cujus vigore statuit futurum ut ij qvi vocati & justificati ad finem perseveraverint, tandem etiam sint glorificandi. Ut rem in pauca conferam hæc est major propositio Paulina.

Qvoscunq; Deus præscivit in Vocatione & Justificatione finaliter perseveraturos: hos immutabili proposito & voluntatis suæ consilio prædestinavit tandem glorificandos. Est propositio convertibilis, idcoq; summè necessaria, in qva hic est Causarum ordo, Propositum seu Consilium voluntatis Dei, Præscientia, Prædestinatio, Vocatio, Justificatio, Glorificatio.

Qvantum ad Minorem attinet, hæc relinqvitur in judicio cujusq; Hominis fidelis seipsum examinantis, explorantis & probantis. Vosipsos, inqvit, 2. Corinth. 13. vers. 5. tentate, annon sitis in fide? Vosipsos probate, annon agnoscitis vosmetipsos, videlicet Jesum Christum in vobis esse: nisi reprobri estis. Testimonium Spiritus S. intùs clamantis Abba Pater, & subinde suspirantis & serium resipiscentiæ colendæq; sanctimoniæ studium, facile Minorem constituunt.

V. g.

V.g. Atqui Petrum Deus præscivit in Vocatione & Justificatione finaliter perseveraturum. Nam pœnitentiam egit, & resipuit, & Christum confessus est, usq; ad mortem. Ita de sese qvisq; fidelium assumat, & sequetur Conclusio.

Ergo Petrum Deus immutabili proposito & voluntatis suæ consilio prædestinavit tandem glorificandum.

Simile argumentum continetur in verbis Christi. Qvidqvid dat mihi Pater: ad me veniet, & eum qvi venit ad me, non ejiciam foràs, Joan. 9, 37. Et paulo post. Hæc est autem voluntas ejus qvi misit me Patris, ut qvicqvid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die. Et cap. 10, 27. 28. 29. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas qvisqvam è manu mea, &c. Vide Joan. 17. per totum.

DEUS FORTIS. Est idem cum superiori, Principatus super humerum ejus. *& notatur Christi omnipotentia, qvi possit tueri adjuvare & servare suos in omni militia Christiana contra carnis cupiditates, contra mundum, in qvo qvicqvid est, dicente Joanne, Joan. 2, 16. est cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ. tum præterea impiorum & tyrannorum persecutiones, contra Diabolum, imperia & potestates tenebrarum harum, deniq; contra terrores conscientiarum, De qvibus omnibus dixi in Natali Domini. Oritur hinc fidelibus magna animi confidentia, qvâ insultare possunt omnibus hostibus & inimicis suis Peccato, Veteri Adamo, voluptatibus omnibus, tyrannis, Diabolo, morti, Inferno, & tandem STARE in die illo terribili coram Judicio Dei. Luc. 21, 36. Apoc. 6, 17. Psal. 1, 5. Patet hic latus campus exemplorum sanctorum martyrum, qvi in hac militia triumpharunt, Apoc. 2, 7. 19. Vincenti dabo edere ex arbore vitæ, qvæ est in medio Paradysi vitæ. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vide 1. Tim. 1, 18 & 1. Tim. 6, 12. & 2. Tim. 2. 5. deniq; 1. Cor. 9, 24. qvibus nunc mihi immorari non licet. Seqvitur*

PATER SECULI. Nomen Patris est nomen officij, dulcissimæ consolationis plenissimum, Dixerit aliqvis Credo Christum esse Magnum Deum & fortem, qvi facile contererе hostes suos possit: Ego verò peccator sum, qvid si & adversus me iram suam potentem stringat? Si in Christum baptizatus es, si Christum induisti per fidem, si Christi amore flagras, si seriò cupis carnem crucifigere cum affectibus, si regnum peccati in te destrui

cupi-

cupis, si membra tua sistere serva justitiæ ad sanctimoniam serio desideras: jam bono animo es: & applica tibi omnia illa quæ Joan. 6, 10. & 17. capitibus de ovibus Christi dicuntur.

Dicitur Christus frater noster Psal 21, 23. & cohæres, Rom. 8, 17. Hoc loco patris nomen assumit. Quin & affectus maternos erga Ecclesiam gerit, Esa. 49. tum & Gallinæ sese comparat colligenti pullos suos sub alas, Matt. 23. & in paulò ante dictis Pastorem bonum & fidelem se vocavit. Quibus accuratè consideratis: an quis dubitare possit de ejus benignitate & misericordia erga peccatorem seriò resipiscentem? Dicebat Manasses, Est insustentabilis super peccatores, ira comminationis tuæ. sed addebat, immensa verò & imperveſtigabilis misericordia promissionis tuæ. Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram longanimis & multum misericors & pœnitens super malitiam hominum, quod & Joel. affirmat, Joel 2, 13. Et Lutherus Jer. 31. 20. Ist nicht Ephraim mein tewrer Sohn/vnd mein trawtes Kind? Deñ ich dencke noch wol dran/ was ich jhm geredt habe. Darumb bricht mir mein Hertz gegen jhm/daß ich mich sein erbarmen muß/spricht der HErr. Et hæc est Dei & Christi paterna erga nos voluntas, modo & nos voluntati ejus obsequamur, de qua Apostolus. Hæc est voluntas Dei, Sanctificatio vestra, 1. Thess. 4, 3. & 2. Cor. 7, 1. Heb. 12, 14.

Nec verò simpliciter Pater appellatur, sed Pater seculi. Quo docemur Christum non in hoc mundo beare suos fideles, sed in altero demum seculo. In hoc mundo nulli sunt homines miseriores Christianis, dicente Paulo, Si in hac solùm vita speramus in Christum: miserrimi omnium hominũ sumus, 1. Cor. 15, 19 Nescio an hominis Christiani Militia satis describi possit. Sicut generatio hominis ita & regeneratio cũ maximo dolore cõjuncta est, & sunt Christiani varijs afflictionibus obnoxij, id quod nullo alio rectius quam ipso Pauli exẽplo demonstrari posse existimo de quo Dominus ipse dicebat, ostendam ipsi quanta ipsum pati oporteat pro nomine meo, Act. 9, 16. Spectaculum, inquit, 1. Cor 4. facti sumus mundo & angelis & hominibus Ad hoc usq; tempus & esurimus & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & in certis sedibus erramus & laboramus operantes proprijs manibus. Purgamenta mundi facti sumus, utq; omnium sordes usq; adhuc. Longum foret omnia describere, quæ ipse de afflictionibus suis, 2. Cor. 6. item 2. Cor. 11. & alijs compluribus in locis commemorat. Et generalis est sententia, Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3, 12. tum & illa, Oportere nos per multas oppressiones ingredi in regnum Dei, Act. 14, 22.

Debent ergo veri Christiani è pulvere hujus mundi animum erigere & τὸ πολίτευμα suum habere in venturo seculo in novo illo cœlo quod expectamus, debent, vigilare & orare, & noctes atq; dies excubias agere, & Dominum suum expectare venturum ad judicium, qui veniet sicut fur in nocte ut in superioribus Intimationibus nostris abunde diximus, & hoc unum agere cum timore & tremore ut in illo die possint coram Filio hominis STARE CUM PACE, Luc. 21. 36. Apoc. 6, 17. & 2 Pet. 3, 14. Mundus conditus, quasi exerto collo expectat revelationem filiorum Dei, Rom. 8, 19. quãto magis oportet nos esse sollicitos occupatosq; in sanctis conversationibus & pietatis officijs, EXPECTANTES, &c. 2. Pet. 3, 11. & seq. Phil 3, 20. Tit. 2, 11. 12. 13. Vocatur quidem dies ille Dies iræ, Rom. 2, 4. sed vocatur idem & dies Redemptionis & Revelationis filiorum Dei, Rom. 8, 19. Luc. 21, 28. Eph 4, 30. Nunc quidem filij Dei sumus: sed nondum patefactum est quod erimus 1. Joan. 3, 2. Et oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ parabit Deus ijs, qui ipsum diligunt, 1. Cor. 2, 9.

Erim-

PRINCEPS PACIS. Quæritur, Quomodo Christus dici possit Princeps pacis, cùm ipse neget se venisse ad dandam pacem? Nam Lucæ 12. v. 51. & seq dicit putatis me advenisse pacem daturum? dico vobis: imò dissidium. Erunt enim ex hoc tempore quinq; in una domo dissidentes, tres adversus duos, & duo adversus tres. Dividebit pater adversus filium, & filius adversus patrem: mater adversus filiam, & filia adversus matrem: socrus adversus nurum suam, & nurus adversus socrum suam. Docuit certè perpetua experientia, semper ex prædicatione Evangelij dissidia exorta fuisse, uno Evangelium amplectente, & altero repudiante: id quod non ipsi Evangelio acceptum ferri debet, sed malitiæ eorum qui Evangelio resistunt. Si de mundo fuissetis; ait Christus ad discipulos, mundus quod suum esset diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego delegi vos de mundo: propterea odit vos mundus, Joan. 15, 19. Non ergo Christus dicitur Princeps pacis propterea quod suis det pacem in mundo & cum mundo. Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis, Joan. 14. vers. 28. Non prout mundus dat ego do vobis, Joan. 14, vers. 27. sed est longè alia pax, ob quam Christus dicitur Princeps pacis. Quænam verò illa? Nempe pax Conscientiæ & animæ fidelis erga Deum; de qua Paulus, Rom. 5. 1. Justificati igitur fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Id in sequentibus explicat fusiùs cum inquit, Christus pro impijs mortuus est, Et iterum, Cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et paulo post. Si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus: multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.

Idem non minus graphicè docet, 2. Cor. 5. v. 18. & seqq. Deus reconciliavit nos sibi per Jesum Christum. Item Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum. Fecit enim, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset: ut nos efficeremur justitia Dei in eo. Hujus sententiæ amplitudinem dicente Philippo nec Angelorum nec hominum eloquentia satis exponere potest. De summa, inquit, utcunq; commonefeci Juniores, ut hoc dictum considerare & amare discant.

Hæc, hæc illa est pax quam prædicabant Angeli nato in Bethlehem Salvatore, Luc. 2, 14. canentes Gloria in Excelsis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. Hanc pacem intelligebat Simeon, cum diceret, Nunc dimitte, servum tuum in Pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum, Luc. 2, 29. Hæc illa Pax est, quam Christus postquam resurrexisset à mortuis precatus est discipulis, quando Luc. 24, 36. stetit in medio eorum, & dixit Pax vobis. Hæc est illa Pax quæ superat omnem intellectum, Phil. 4, 7. Hæc inquam illa Pax est, quam in omnibus epistolis suis Paulus precatur Ecclesijs, Hæc denique illa Pax est: cum qua dicente Petro, in die extremi Judicij, poterimus stare coram Filio hominis, 2. Pet. 3, 4. Lucæ 21, 26. Apoc. 6. 17. Hæc Pax semel accepta nunquam deserit hominem Christianum, quàm diu militat bonam militiam servans fidem & bonam conscientiam. 1. Tim. 1. 19. quâ repudiata fit fidei naufragium.

Stemus ergo in procinctu, stemus in excubijs, vigilemus, & expectemus diem illum exerto collo, cum timore & tremore, Phil. 2, 12. nec tristitia afficiamus Spiritum illum Sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem Redemptionis, Ephes. 4, 30. Nobis dictum putemus illud Pauli, Ephes. 5, 4. At vos non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur deprehendat. Itaq; suspiremus cum Joanne, & dicenti Domino, Etiam venio citò, Amen. respondeamus ardentibus votis, Etiam Veni Domine Jesu. Apocal. 22, 20. P. P. sub sigillo Rectoratus nostri, ipso die Paschatos, Anno M. DC. XXVII.

(?)

AMPSING. — 1627